



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Articulus III. De defectu in audienda confessione commisso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

absolutione dimittendus erit, utpote ad illam male dispositus.

Nota quod diximus de superioribus Regularibus, ad seculares æque extendendum esse, cum Clemens VIII, prædicto statuto, non tam nouum aliquod ius posituum constituar, quàm quid ex ipso iure naturali, & diuino, posita institutione Sacramenti pœnitentiæ, sequatur, declaret. Vnde Parochus tenetur dare Eucharistiam petenti, & si ex confessione sciat eum ad eam recipiendam male dispositum esse, tenetur assistere illius matrimonio, quem via confessionis nouit occulto laborare impedimento, &c.

ARTICVLVS III.

De defectu in audienda confessione commisso.

Ubi est 1. quomodo se geret confessarius, qui post confessionem aduertit se grauem aliquem defectum in ea commisisse. Ad hoc breuiter respondeo per sequentia.

In primis confessarius post datam absolutionem, aduertens se aliquem à censuris inualidè absoluisse, debet petere facultatem ab iis absoluedi, ac deinde absentem absoluere. Hæc enim absolutio in eo distinguitur à Sacramentali, quod nec præsentiam subiecti, nec dolorem necessariò in eo exigit.

Deinde si confessarius aliquem à casibus reseruat, defectu potestatis inualidè absoluit, non potest obtenta facultate eum absentem absoluere, cum absolutio absenti collata inualida sit, ex dictis præcedenti opusculo; sed debet, si commode potest, ab eo facultatem petere, ut cum ipso de præterita confessione loqui possit, eaque obtenta illum de commisso errore monere.


Rursus si confessarius sufficienti iurisdictione præditus, inaduertenter pœnitentem sine absolutione peccati mortalis dimisit, & statim talem defectum

Es

aduer-

aduertit, quamdiu pœnitens non longè ab eo distans, genibus flexis orat, quidam dicunt sic distanti abolutionem posse impendi, quia voluntas habitualis obtinendi absolutionem adhuc in eo perseverat. Non tamen dubito quin tutius sit pœnitentem tunc vel aduocare, vel adire, ei que absolutionem impedere.

Præterea non tenetur confessarius per se restituere, quando pœnitentem non monuit vt restitueret, cum ex officio confessarii non teneatur procurare bonum creditoris, sed salutem pœnitentis promouere. Imò & si confessarius bona fide dixerit, non esse restituendum, nec possit pœnitentem monere, restituere non tenetur. Si tamen ex culpa lata, vel ex ignorantia crassa monuit restituendum non esse, tenetur restituere, nisi opportunè moneat pœnitentem vt restituat. Quia sic ex graui culpa, est causa damni creditori illati.



OPVSCVLVM III.

DE CENSVRIS ECCLESIE.

CAPVT I.

DE CENSVRIS IN GENERE.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit censura, & à quo infligi possit.



DVBIVM est: quid sit censura. Respondeo censuram hoc vel simili modo posse describi. Censura est poena spiritualis per quam delinquens quorundam spiritualium bonorum vsu priuatur. Quod vt clarius intelligas.

Nota 2.